exoptatius bonis Subditis accidere possit, quam boni Principis adventus et præsentia: non potest non nisi in votis ac desideriis omnium esse Civium. Tam lætus utique tamque gratus cuncta Civium coronæ adventus boni Principis accidit: ut uno ore universi exclamarent singuli: O auspicatam et nullo ævo delendam illius diei felicitatem, quæ multorum annorum decora unam in lucem minus usitato exemplo accumulat. O diem unionibus signandum! O benignitatem Principis in acta mittenda publica! O fortunam dignam, quæ Minervæ peplo intexatur ac Saliari carmine canatur! Et quidni sic exclamarent boni Cives? Habent enim, quod volunt; nec quicquam ipsos premit, quod nolunt. Judicate, judicate jam ipsimet, Aud. max. hon. pro ingenii ac judicii vestri acrimonia, de summa Subditorum lætitia, quam è sui Principis adventu percipiunt. Nec enim ego, in tam vehementi affectu, exprimendo verba paria facere possum: etiamsi ingenii frena laxare vellem, ut in ulteriora ac uberiora verba prorumperet. Certè ut pueri, qui ad aquas ludunt, dum lapillos in stagnum jecerint, magis magisque majores orbes faciunt: ita et mihi, quò plura de vehementi illa Subditorum lætitia verba afferrem, eò plura ad afferendum se offerent. Judicate, iterò, et dicite mihi Sultis Aud. quæ major sit lætitia: an quæ ex adventu Principis: an quæ ex alia re desideratissima capiatur? Ego equidem judico, nil magis exhilarare fideles populos, nil eosdem juvare uberius, quam B. Principis Adventum